

Allgemeine botanische Zeitung.

Nro. 31. Regensburg, am 21. August 1834.

I. Original - Abhandlungen.

Drei neue Pflanzengattungen; aufgestellt von Hrn.
Dr. Carl Heinrich Schultz aus Zweibrücken,
früher ausübendem Arzte zu München.

(Schluss.)

F i d e l i a mihi.

Anthodium polyphyllum, subimbricatum, oblongo-ovatum, glabrum subinde; squamae omnes adpressae: *internae* Nr. 10 — 11, quibus inferne accedunt minores fere totidem.

Receptaculum favoso-fimbriatum.

Flos anthodio dimidia fere parte longior, pallide aureus, unicolor, flosculis constat circiter Nr. 40.

Fructus omnes aequales, pappo plumoso sunt coronati et $4\frac{1}{2}$ — 5''' longi. In fructu quidquam ultra $4\frac{1}{2}$ ''' longo, achenium $2\frac{1}{2}$ ''', pappus vero 2'''.

Achenia $2\frac{1}{2}$ ''' longa, omnia aequalia, gracilia, a lateribus compressa, subteretia, subincurva, convexitate extus spectante sulcis 5 longitudinalibus more congenerum percursa, inter quos elevationes modicae observantur totidem, exasperationibus innumeris obsessa transversalibus, quae praesertim superne, ubi corpus achenii cum rostro confluit, majores et erecto-patentes evadunt, ita ut optime cum

aculeis brevibus aut pilis rigidis possint comparari. Ceterum undique hae exasperationes paulisper erecto-patentes sunt. Achenium supra duas tertias partes sat abruptim in rostrum transit corpore achenii duplo brevius. Rostrum achenii corpore glabrius et gracillimum apice dilatatur ad receptaculum pappi formandum. Basin versus achenium pariter angustatur paulisper, basi ipsâ vero callum format basilarem omnibus Leontodonteis communem, si excipias achenia radialia in generibus quorum achenia sunt difformia.

Achenia sunt dilute brunnea. Embryo quidquam plus quam dimidiam achenii partem explet.

Pappus plumosus, albescens, *persistens*, *radiis* constans Nr. 10. aequalibus, 2''' circiter longis, omnibus plumosis: plumulis longis, caducis. Radii basi in scarositatem latam, ovato-lanceolatam integram expanduntur.

(Herba *humilis annua* aut fortasse biennis, certo autem non longaeva; foliis omnibus radicalibus, valde *irregulariter* denseque dentato-pinnatifido-laceratis, pilis simplicibus obsessis; *scapis* numerosis, simplicibus, rarissime divisis, glabriusculis, superne squamosis, crateris mediterranei regionem incolens.)

Spec. 1. *Fidelia Kalbfussioides* mihi.

Patria. Ad Aegypti Pyramides legit cl. Sieber! et cum *Spitzelia Sieberi*, sub nomine *Crepidis radicatae* Forsk. inelytae Academiae Monacensi, in cujus herbario speciem examinavi, communicavit.

Obs. 1. *Apargia hastilis* β . Viviani Fl. libyc.